



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 3. An quævis promissio etiam gratuita obligat sub mortali in re gravi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

norem, v. g. promitto me Dei amore tali pauperi daturum centum, statim obligat antequam acceptetur à paupere: quia talis promissio censetur esse votum, quod statim obligat, utpote statim acceptatum à Deo.

Q. 3. *An quævis promissio etiam gratuita obligat sub mortali in re gravi?*

Resp. Aff. Ita S. Antonin. Azor, Lessius, Vasq. Sanchez, Reginald. & alii communius.

Prob. quia 1. Pacta omnia obligant: ergo obligant graviter, si materia sit gravis. 2. Promissio acceptata inducit obligationem justitiæ, quæ gravis est in re gravi: nam obligatio justitiæ est ea, quæ parit in altero jus exigendi aliquid: at promissio etiam gratuita hoc parit: promittere enim non est solum affirmare se daturum, vel facturum aliquid, sed est insuper se obligare alteri, ideóque jus ei dare ad exigendum, ut patet ex communi sensu. Unde homines queri solent factam sibi esse injuriam, dum violatur promissio acceptata, per quam acquiritur jus ad rem, quod transit ad hæredes: ac proinde gravis est injuria, ideóque mortalis, si violetur jus ad rem gravem promissam. 3. Promissio, quæ fit per formam stipulationis, vel coram notario, & testibus, obligat ex justitiâ, cum det actionem in foro externo, cujus sententia spectat huc, ut suum cuique jus reddatur. Horum autem assisten-

tia

tia non addit novam obligationem, sed supponit, & facit solum ad majorem securitatem. 4. S. Aug. l. i. de doct. christ. c. 36. generaliter ait: *omnis fidei violator iniquus est.* 5. Et ex Tullio, l. i. Offic. *Fides est justitiæ fundamentum, dictorum, conventorumque constantia.* Ergo qui in promissis fidem non servat, justitiæ fundamentum, quo pacto nituntur, evertit. At hoc est ex suo genere graviter inordinatum. 6. Donatio gratuita accedente traditione dat jus in re: ergo promissio gratuita acceptata dat jus ad rem.

Itaque fidelitas, qua fides data servatur, est justitia inadæquatè sumpta, seu pars Justitiæ, quatenus reddit unicuique jus suum ex promissione debitum: licet sit justitia minus stricta, dum promissio est gratuita. Quare fidei etiam gratis datæ, & acceptatæ violatio est quædam injustitia, & quidem ex genere suo turpis, hominèmq; reddens contemptibilem.

Porro consentiunt omnes, eum, qui non implet promissionem gratuitam, teneri resarcire damna inde secuta, cum dederit illis causam, non servando fidem datam, & sic decipiendo. Idem dic etiam si fictè promiserit; quia fuit causa damni per deceptionem, ideoque per injuriam. Non est tamen obligatio compensandi lucrum cessans ex re liberaliter promissa, eo quòd suo tempore non fuerit data; quia promissio gratuita non obligat ex Justitia

tam

tam stricta quam promissio onerosa: nam illa dat solum jus rem promissam petendi, & conquerendi de violata fide data; & obligatio ab illa orta pendet à sola promittentis voluntate, qui non intendit se obligare nisi ad dandam rem promissam.

Not. I. Juxta multos major quantitas ad mortale requiritur in violatione promissionis gratuita, quàm onerosæ, vel in furtis: quia minus invitus censetur promissarius, quòd res gratis promissa recusetur, quàm si res propria à qualis valoris auferatur.

Q. 4. Ad quid obligat promissio facti alieni?

Resp. Obligat ad procurandum sincerè, & bona fide factum alterius: nam promittens factum alienum, eo ipso censetur velle se obligare ad illud procurandum: alioqui ad nihil obligaret, & nulla esset; nam non potest obligare ad ipsum factum alienum; quia ut alienum non est in promittentis potestate, & ad impossibile obligari nemo potest. *Ita Molin. Sanchez, De Lugo, & alii multi.*

Q. 5. An promissio facta ob causam turpem, seu opus illicitum obligat?

Resp. I. Omnis promissio, & pactio de re illicita facienda, non obligat, & nulla est jure naturali ante executionem. *Ita omnes.* quia
nemo